

MATHAEVS DRESERVVS PHILOSOPHVS ERDFOR-  
dianus.



**M**Athæus honestis parentibus natus, & optime educatus fuit. Is cum felici indole conspicuus esset, à pueris literis incubuit, atque prima artium & linguarum fundamenta egregie iecit. Inde se ad uarias academias contulit, ac in primis Erdphurdiæ philosophiæ preclaram operam nauauit. In ea quoq; adeò profecit, ut inter eius Gymnasij professores reciperetur. Eam functionem is magna laude administrait, atq; sua eruditione & docendi perspicuitate sibi magnum nomen comparauit. quin etiam Rhetorices & Physices compendia post multos alios diligētiſſimè conscripsit, que quidem ob exemplorū copiam & methodum singularē lectu sunt dignissima. Hac ratione Mathæus etiamnum Erdfurdiæ pergit, atq; sua eruditione eam Academiam antiquitus celebrem longè celebriorem reddit. Anon.